

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

Catania, Biblioteche Riunite Civica  
e Antonio Ursino Recupero (I-CATc)  
D 39, f. 38r-39r

Transcription : Christian Meyer  
(février 2006 – rév. nov. 2017)

38r

<sup>1</sup> Species cantus sunt hee que sequuntur.

<sup>2</sup> Unus sonus. semitonus. Tonus. Semiditonus. Ditonus. Dyatetharon. Tritonus. Dyapente minus. Dyapente maius. Semitonus cum dyapente. Semiditonus cum dyapente. Ditonus cum dyapente et dyapasson.

<sup>3</sup> Unus sonus non est species cantus, tamen est principium, fons et origo omnium aliarum consonanciarum quia sicut unitas in numeris non est numerus, ita unus sonus non est species in cantu. <sup>4</sup> Et dicitur de unus, una, unum quia reddet sive profert unum sonum, et est aggregacio duarum vocum in linea vel in spacio, ut dicimus *ut ut*, vel *re re* et sic de aliis.

<sup>5</sup> Semitonus est aggregacio duarum vocum ascendencium vel descendencium, ut dicimus *mi fa* vel *fa mi* et dicitur a semus, sema, semum, quasi tonus imperfectus et potest dici secunda minor.

<sup>6</sup> Tonus est aggregacio duarum vocum ascendencium vel descendencium ut dicimus *ut re*, vel *re mi*, vel *fa sol*, vel *sol la* et econverso et dicitur a tonando sive de sonando et potest dici secunda maior.

<sup>7</sup> Semiditonus est aggregacio trium vocum ascendencium *re mi fa* vel *mi fa sol* et quando est *re mi fa* tunc tercia intensa dicitur quia semitonus ponitur in acuciori parte, et quando *mi fa sol*, tunc

tercia remissa dicitur quia semitonus ponitur in graviori parte. Et est tercia minor et componitur a tono et semitono et derivatur ad intellectum predictum.

<sup>8</sup>Ditonus est aggregacio trium vocum ascendencium vel descendencium, ut dicimus *ut re mi* vel *fa sol la* et econverso, et dicitur a *dya* quod est duo et *tonus* quod sunt duo toni quia formantur a duobus tonis integris vel a duobus intervallis completis perfectis, et potest dici tercia maior.

<sup>9</sup>Dyathesaron est aggregacio quatuor vocum ascendencium vel descendencium ut dicimus *ut re mi fa*, vel *re mi fa sol*, vel *mi fa sol la* et econverso. <sup>10</sup>Et quando dicimus *ut re mi fa* tunc intensa dyathesaron dicitur quia semitonus ponitur in acutiori parte et quando dicimus *mi fa sol*, tunc dyathesaron remissa dicitur quia semitonus ponitur in graviori parte <sup>11</sup>et quando dicimus *re mi fa sol* tunc dyathesaron non est intensa neque remissa quia participat de intenso et remissum ab ultraque parte et dicitur a *dya* quod est duo et *thesaron* quod est quatuor, quia fit de quatuor vocibus et componitur a duobus tonis et uno semitonio, et est quarta minor.

<sup>12</sup>Tritonus est aggregacio III<sup>or</sup> vocum ascendencium vel descendencium, ut dicimus *fa sol la re mi* et econverso, et est quarta maior, et composita a tribus tonis integris, et dicitur a *tria* quod sunt tres et *tonus* quod sunt tres toni.

<sup>13</sup>Dyapente minus est aggregacio V vocum ascendencium vel descendencium, ut dicimus *mi fa sol la mi fa*, et formatur a duobus tonis cum duobus semitonis et dicitur a *dia* quod est duo et *pente* quod est quinque, que fit de quinque vocibus tantum, et est in numero dyapente et non in quantitate neque in consonantia. <sup>14</sup>Dyapente minus non utitur in musica, et ideo *fa* contra *mi* non debet facere in speciebus perfectis. <sup>15</sup>Ratio est quia illa dyapente non componitur a tribus tonis cum semitonio.

<sup>16</sup>Diapente maius est aggregatio quinque vocum ascendencium vel descendencium, videlicet *ut re mi fa sol* vel *re mi fa sol la* vel *mi fa sol la re mi* et quando dicimus *ut re mi fa sol*, tunc dyapente intensionem, et quando dicimus *re mi fa sol la* tunc dyapente neque

intensum neque remissum set participat de intensem et remissum.<sup>17</sup> Quando dicimus *mi fa sol la re mi* tunc remissum dyapente est, quia semitonus ponitur in graviori parte.

<sup>18</sup> Semiditonius cum diapente est agregacio sex vocum ascendentium vel descendencium ut dicimus *mi fa sol la re mi fa*, et est sexta maior et remissa vel ex eadem minus et componitur a tribus tonis cum duobus semitonis.

<sup>19</sup> Tonus cum diapente est aggregatio sex vocum ascendentium vel descendencium ut dicimus *ut re mi fa sol la* et econverso et componitur a quatuor tonis et uno semitonio et est sexta maior et participat de intensem et remissum quia semitonus non ponitur in medio, que apud antiquos musicos <vocatur> exaden maius.

39r

<sup>20</sup> Dictonus cum dyapente est agregacio septem vocum ascendentium vel descendencium ut dicimus *re mi fa sol la re mi fa* et econverso, et componitur a quatuor tonis et duobus semitonis, que apud antiquos musicos vocatur eptaden minus.

<sup>21</sup> Dictonus cum diapente est agregacio VII vocum ascendentium vel descendencium, ut *re mi fa sol la re mi* et econverso, et componitur a quinque tonis et uno semitonio, et est VII<sup>a</sup> maior, que apud antiquos musicos vocatur eptaden maius.

<sup>22</sup> Dyapasson que corpus armoniacum vocatur est agregacio octo vocum ascendentium vel descendencium, ut dicimus *ut re mi fa sol la re mi fa* et econverso.<sup>23</sup> Et componitur a quinque tonis cum duobus semitonis minoribus et dicitur a *dia* quod est duo et *passon* quod est totum quia fit de omnibus vocibus vel consonan- ciis.

<sup>24</sup> Est sciendum secundum Pictagoram quod omnis simplex consonantia infra dyapasson amplectitur et quicquid exterius est, reiteracio vocatur.